

erat curia et pomarium quoddam, ubi prius dos antiquae ecclesiae sancti Benedicti stetit, sicut in registris inveni, et locus caemiterii et ecclesiae antiquae, de quo pomarium erat^a factum, quod inquam pomarium destruxi et arbores exstirpavi et in hortum redegei, et sic aliquos redditus ex isto horto habui. Sed pomarium, quod erat factum de loco caemiterii et ecclesiae in terram seminabilem et agrum commutabam et adhuc aliquot lapides inveni ibidem, qui erant de ecclesia et de muro circumeunte^b caemiterium; illos ad constructionem ecclesiae sancti Nicolai dedi propter Deum et sic, ut patet, tempore Heidenrici rectoris capellae beati Benedicti et Nicolai capellae se res habuit, quae eo tempore fuit destructa, quia^c lignea, et nova de lapidibus reaedificata.

Vixi itaque in magna paupertate maximaque miseria, sed melius subsidium quod habui frequentius erat, quod visitavi ecclesiam sancti Reinoldi et ex petitione pastoris populum in confessionibus expediui et infirmos communicavi et missas pro defunctis ibidem cantavi propter praebendas habendas, et in magnis festivitatibus chorum frequentavi et praesentiam cum aliis vicariis levavi. Et etiam multotiens denarii missales in capella ab honestis matronis mihi derivabantur et etiam aliae oblationes bonae interdum a civitate et aliis probis ac honestis hominibus, quando bellum vel huiusmodi^d inire debebant, offerebantur. Et etiam multae columbae nidificabant supra testudinem capellae, quas vendere permisi^e et vestitum ex ista pecunia fere habui, ut miserabiliter patet, et id libenter feci propter Deum, ut capellam meliorarem et successores meos non postergarem.

Sed procuracionem per me factam scire debent, quod cum^f inclusa in reclusorio beati Benedicti moriebatur, de relictis per eam unum praeparamentum novum cum omnibus attinentiis ad praedictam capellam comparavi. Sed contingebat post non diu, quod reclusorium et tectum et lobium super capellam apostolorum comburebatur^g, sed^h oppidum quasi ex toto hoc non contingebat ex combustione reclusorii. Et ita intelligitis, quod ego tuncⁱ parietes ex eleemosina et capellam apostolorum interius renovavi et reclusorium cum adiutorio bonorum hominum reaedificavi. Et etiam duos antiphonarios ad capellam et tres mensuras agri sitas super foveam Vosskullen¹ procuravi. Sed post constructionem reclusorii duae

a) B 'erat — pomarium' fehlt. b) C 'circumveniente'. c) C schiebt 'et' ein. d) C 'et homini' statt 'vel huiusmodi'. e) AB 'promisi'. f) ABC 'una'. g) A 'combinabatur' verbessert in 'comburabatur', B 'combinabatur', C 'comburabatur'. h) ABC 'in' statt 'sed'. Die Stelle ist unverständlich. Soll sie vielleicht andeuten, dass aus diesem Brande nicht der grosse Stadtbrand von 1232 oder 1297 entstanden sei? i) C 'extunc'.

1) Die Vosskühle lag vor dem Ostenthor rechts von der nach Unna führenden Strasse. Die Benediktskapelle scheint in der That dort Land